



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXI. Murmurationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

VIII. O mi Creator ac divine Magister, infinitas tibi gratias ago pro amore, quo me voluisti solutum omnibus istis curis, omnes meas cogitationes & obligationes conferre in hoc unum, ut te amem, tibi que serviam toto corde. Si obligarer ad non offendendum quemquam, sed satisfaciendum omnibus, fuisset impossibile facere tuam voluntatem, & non peccare in homines. Unī ergo tecum has dispersiones Israël: aufer ab isto corde æstimationem judicorum hominum, sive bona, sive mala sint; ne ulla res extra te illud attrahat sibi. Non finas me velle satisfacere mundo, cui tu nunquam satisfacisti; neque audire judicia ejus, qui nunquam judicavit bene de te. Tibi soli cupio satisfacere; tibi offero omnia interiora & exteriora mea. Viva semper sit in corde meo divina tua præsentia; eleva semper ad te spiritum meum; ut avulsus ab omni eo, quod non potest implere me tuo amore, vivam semper in, te de te loquar, de te cogitem, ad te aspirem, in te quiescat cor meum, o mi bone Jesu, mi Judex æquissime, mi amice piissime, mi suavissime Redemptor & Salvator!

O Mater Dei, plena gratiâ, & Domino, qui semper est tecum, quàm magna ac dives fuisti in oculis Dei Domini nostri, & quàm ignota mundo! Per illa vincula puri amoris, quibus unita fuisti semper Deo, Domino, Sponso, Filio ac divino thesauro tuo, impetra mihi, ut sibi cor meum simplici & sancta intentione ac puro amore in omnibus rebus adstringat, ne unquam ab ulla creatura trahatur. Curia cælestis, gratissima Domino, ac Iudici divino, sed mundo non cognita neque accepta; conjicite inter hæc vestra bona cogitationem in me pauperem, ut occupatus vobiscum, non possim perverti rebus vitæ istius. Amen.

Æ R V M N A X X I.

Murmurationes.

I.

*Murmura-
tio proles
mali judi-
cii.*



Malis judiciis plerumque murmurationes nascuntur: quas quàm grave sit pati, ex eo cognoscitur, quòd alias hujus vitæ molestias mitiget assuetudo; hæc autem quò diuturnior, eò intolerabilior fiat. Est murmuratio Carnifex & Licetor mali judicii; quia

quia cor malignum nemini nocet, nisi malum iudicium linguæ demandetur; hæc postea facit officium nocendi, non modò promendo, quod erat occultum; sed etiã colorando, ut iure factum appareat. Et sicut omnes ferè homines, plus minusve, tacti sunt hoc vitio; ita nulla etiã persona, nulla res est, quæ obmurmurationem effugiat: nec est quod cogitet quisquam, se inter homines degendo, fore ab hoc malo immunem; quando ipsum D. N. Jesum Christum, neque sanctitas Personæ, neque innocentia vitæ ab eo defendit. Quod quidem ipse pati patientiã pertulit, quã alia omnia. In viis & plateis, in domibus & officinis, in synagogis & consiliis Judæorum, inter Doctores ac Principes eorum tantæ, tam sædæ fuerunt murmuraciones de Christo, quantas & quales nullus unquam Justorum est passus. Nullus tunc erat hominum cœtus sive in aprico sive in umbra; sive in mensa, sive in itinere, ubi non murmuraretur de Christo, & eum sequentibus. Si quis eum defenderet, acuebantur hoc ipso linguæ aliorum: & ut malitia, cui contradicitur, magis accenditur; ita linguæ murmurantium indigniora dicebant: si quis voluisset eum defendere, dicebant, peccatorem non posse miracula facere; illum non posse non esse peccatorem, qui non observaret Sabbathum. Sacerdotes dicebant, nullum Principum eum sequi, sed vulgus tantum, & quod ageret tantum cum plebe & face hominum. Doctores murmurabant, quod se diceret esse Filium DEI; Pharisei, qui se pro sanctis gerebant, vocarunt impostorem, & rem habentem cum Diabolo; omnem ejus conversationem cum peccatoribus reprehendebant; consumebant etiã tempus in traducendis ejus discipulis, quod essent ferè piscatores: deridebant aliquos, qui eum sequebantur: & varia eis nomina imponebant, diversis rebus eos conferendo, & aliis modis illudendo, ut assollet mundus: quæ omnia redundabant in opprobrium Domini. Atque omnis hæc murmuratio & obrectatio fundabatur in malitia cum mixtura variarum falsitatum, communiter murmuracionibus consuetarum adjungi: ut ad eò pro illarum tolerantia, & quod se propter novaculas maledicorum non sit passus à prosequenda Redemptione nostra averti, tantum ei sumus obstricti, quantum pro ipsomet opere Redem-

ptionis. Quia non debemus ei minus pro modo, & pro qualibet circumstantia exhibitæ nobis gratiæ, quàm pro ipsa gratia.

II. Et verò hoc genus molestiæ tantam vim habet ad frangendam voluntatem, & animum benefaciendi murmurantibus, & ut desistatur à bono cœpto; ut, quamvis Deus non omiserit implere promissionem factam Abrahæ, nullum tamen ex tota multitudine eorum, quos eduxerat ex Ægypto, in terram promissam introduxerit, propter murmuraciones eorum, duobus exceptis. At posteaquam factus est homo, patienter sustinuit murmuraciones quascunque, nec desit illis benefacere: voluitque suos Apostolos idem facere in procuranda salute hominum: unde etiam eos monuit, ne curarent obmurmuraciones; quia si patrem familias Beelzebub vocârunt, quantò magis domesticos ejus? Neque levis est hæc consolatio servorum DEI, quòd faciendo bona opera patiantur oblocutiones, atque ita verè fiant domestici Dei, qui similia passus est. Ut autem conservent hoc privilegium, & eximium honorem, debent eum in hoc imitari, ut murmuraciones tolerant cum patientia. Nam cum hic mundus sit locus ærumnarum & pœnarum, nemo est qui non debeat pati, ut alia, sic & murmura; quæ non est minima ærumnarum: sed patientia distinguit servos Dei ab aliis: namque hi non patiuntur, nisi invitati, coacti, vel patientia quadam impatiente & rabiosa, quæ nonnunquam plus merentur pœnarum, quàm illis peccatis, propter quæ patiuntur: sed illi, servi Dei, molestias, quas promeriti sunt, accipiunt cum humilitate, ut expient sua peccata; quas autem non sunt meriti, ferunt eum gaudio, quòd digni sint fieri similes Domino suo, qui non minùs obtulit sua bona his, qui nolebant recipere, quàm his, qui cum gratiarum actione susceperunt, ac laudibus Dei.

*Servorum
Dei solati-
um in
murmura-
tionibus.*

III. Estque hoc perfectissimum artificium confundendi linguas obtreçantium, constanter illos instruere in virtute cum patientia, lenitate, ac beneficiis. Nec ulla re tempus inutilius consumitur, quàm studendo satisfacere linguis malignorum. Quia ut murmurans non curat rationem ejus, quod dicit, sed tantum ne desit, quod dicat; ita eò magis accenditur ad dicendum, quòd plures

*Non cona-
tu satisfac-
iendi lin-
gua oppre-
muntur,*

plures rationes afferri contra se videt: & qui prius murmurabat solum contra tuas actiones, postea etiam rationes, ad earum defensionem allatas, impugnat tam argute, ut jam etiam intentiones tuas condemnet; & quidquid attuleris, ei seruiat pro materia ignem obrectationis augendi. Sed silentium, patientia, lenitas, *sed silentio,* mansuetudo, perseverantia in bono, religiosa dissimulatio, quasi *in perseverantia in bono.* non audiveris, sunt armatura fortissima contra murmuraciones: nam si hæc oriatur ex malicia, satis punitur propria rabie, & quod non possit satiari, te non contra pugnante: si verò ex ignorantia vel mala consuetudine oriatur, magis impeditur silentio tuo, ac citius desinit. Unica ratio est curandi, quid de nobis alii dicant, ne scilicet justam eis murmurandi causam demus; non autem, ut actiones nostras dirigamus eorum sermonibus. Si enim non tantum bona intentione, sed etiam eo modo, quo Deus præscribit, actiones nostras instituerimus, nullam amplius causam habemus attendendi, quid dicant. Imò experientia docet, in vita virtuosa nullam esse pestem magis perniciosam, quam si attendatur, quid homines dicturi sint: qui enim se huic legi subjiciunt, ii cessant facere, quod debent. Pauci enim sunt spiritus adeò robusti, ut faciant quod debent, si displiceat amico, majori aut æquali, aut etiam populo, quantumvis erranti: & plus valet ad prosternendam nostram imbecillitatem timor vel uni displicendi, qui dicere potest, quid- *Timor, vel uni displicendi sternit minus robustos.* quid etiam contra omnem rationem venerit in mentem, quam valeat omnis obligatio virtutis ad resistendum ei, quod dicturus est. Unde Christus præmonuit, non fore, ut sui domestici sint immunes ab oblocutionibus, neque eos sibi placituros, nisi obturatis auribus agant, quod debent, sicut ipsemet egit. Non ergo servi Dei se multum fatigent injustis de se oblocutionibus: licet enim has vincat virtus cum perseverantia, nunquam tamen omnino linguas domabit.

IV. Ideo Dominus in persona Davidis dixit: *Ad Dominum, psal. 119. cum tribularer, clamavi, & audivit me: Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.* Ubi gratias agit Patri de liberatione à murmuratoribus; non tamen, quod ora eorum penitus obstruxerit. Hoc enim reservatur extremo judicio, ubi plena

Sap. 5. 3. demum de illis erit victoria, cum viderint eos, quibus obrectaverunt, in tanta gloria: dicent enim: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, &c.* Credant ergo servi Dei, pessimè collocari tempus, quod expenditur in satisfaciendo murmuracionibus: & quia tempus vitæ est tam breve, melius esse servare patientiam, & imitari

Quando & quomodo sit respondendum obrectatoribus. Christum, omnia alia dimittendo. Neque tamen per hoc tollitur obligatio, in certis casibus, publicè, vel privatim pro salute aliquorum, vel pro honore Ecclesiæ, aut gloria & servitio Dei, reddendi rationem rerum suarum: modò id fiat suaviter & mansuetè, cum ea moderatione, quæ obligationi sufficiat, non laxando linguæ habenas, ne judicemur ipsi murmurare contra maledicos. Alias enim ex una parte justificabimur, ex altera condemnabimur eodem crimine. Et quia in propria causa plerumque excedimus, oportet in hac re querere, & sequi consilium alicujus servi Dei. Maxime verò cavendum est, ne nimium queramus de obrectatoribus, & exageremus, quàm exiguâ ratione id fecerint. Quia enim hoc videtur fundatum in justitia & ratione, cedit in majus damnum animæ. Nam qui nimium queritur, perdit puritatem patientiæ, incidit in periculum præsumptionis, imminuit fidem proximi, truncat perfectionem amoris ipsi debiti, arrogat sibi partem ejus, quod solius est Dei: & si post ejusmodi lamenta seipsam recolligat, inveniet plerumque plura emendanda in se, quàm in linguis obrectatorum. Multa bona perduntur nimia lamentatione, multæ imperfectiones includuntur in ea; quas deprehendet, qui peculiarem habuerit curam proficiendi in spiritu. Consultissimum est, tempus conquerendi cum Deo insumere, qui videt omnia; & meminisse, quantum & quàm occultum thesaurum bonorum spiritualium comparet sibi, qui suffert ac tacet, gaudetque in secreto placere æterno patri familias; quæ non capiunt maledici, qui non sunt ex ejus familia.

Murmuratio malum quasi incurabile. V. Habet murmuratio eam proprietatem, propter quam de illa curare non debet, qui velit esse quietus. Est autem illa, quod sit morbus ferè incurabilis: quia major pars obloquentium id per otium facit, fallendi temporis causâ, vel per malitiam: & sicut ea, quæ sunt recreationis causâ, frenumque rationis non habent, liberius

beatius

bentius faciunt plerique, & sectantur liberiùs; ita non admittunt remedium, quantumvis molestiora sint aliis. Unde si quis oblocutionibus affligi se sinat, vel se opponat, oblocutores majore cum delectatione pergunt obloqui, tantòque magis incitantur, quantò ægriùs ferri se vident, si per ludum id faciãnt: si verò per malitiam, gaudent se id obtinuisse, quod volunt, nimirum, ut tibi sit malè. Rectius igitur veteres consulunt, obrectationibus utendum pro admonitione, vel speculo nostrorum defectuum: nam quod ^{potest ta-} amicus in bonam partem interpretatur ex amore, vel dissimulat ^{men curare.} ex respectu, vel ex incuria non animadvertit, hoc obrectator liberè dicit: ex quo discimus, quid emendandum nobis, aut saltem cavendum sit. Denique semper prævalet virtus, vitium autem proprio judicio & linguã murmuratoris damnatur. Ex his patet, magnà ratione S. Bernardum lib. de consid. dixisse, virtutem fore otiosam & inertem, si non essent, à quibus exerceretur; tales autem sunt homines otiosi, murmuratores, malitiosi: hos enim sufferendo, & beneficiis ornando, fit pulchrior & perfectior. Nescio verò, an non de eodem Sancto conqueri possim, cùm addit: recreationem Monachorum esse murmurationem. Graviter utique senserit hic Sanctus hoc genus recreationis, quòd à sua virtute non poterit obtinere, ut hoc non scriberet. Utinam autem faciãmus, quotquot Religiosi vocamur, ut hoc verum non sit: ac recordemur, quod scribit Apostolus: *Siquis putat se Religiosum esse, non refrenans linguam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* ^{Jacob. 2.6.}

E X E R C I T I U M

Contra linguas obrectatorum.

I.

O Bonitas infinita, DEUS animæ meæ, bone Jesu, Dominus & felicitas mea! ego te adoro, & ago infinitas gratias, quòd tot viis, tantisque tuis impensis eximas mihi amorem omnium rerum terrenarum, & offeras mihi cor tuum, ut teipso satisfacias desideriis meis. Si haberem oculos apertos, quomodo possem adhærere terræ, & genti, in qua tanta est improbitas, ut audeat os aperire contra te, summum bonum meum? & quomodo possem non lau-

dare te? cur dego in hac vita? Duc me, Dōmine, ubi semper te laudem & adorem. Duc me ad societatem purissimorum Spirituum cælestium, qui te vident, æstimant, amant, adorant, & occupantur semper in tuis laudibus. Donec autem differis hanc gratiam, da mihi intimum contemptum laudis & favoris humani, & omnium linguarum, quæ nesciunt te honorare & laudare prout oportet. Si omnes nervi, venæ & ossa hominum verterentur in linguas, & omnis amor cælestis jungeretur cum illis, ad extollenda, quæ pro nobis fecisti; quid esset hoc totum respectu ejus, quod tu es, & amoris, quem erga nos habes? & tamen nec unica lingua, quam cuique dedisti, occupatur in tuo servitio.

*Omnia in
Jesu laude
dignissima.*

O amor animæ meæ! quid est in te, quod laudari non possit ac debeat? an quòd comedas cum peccatoribus, quòd non observes Sabbathum, quòd socieris pauperibus & plebeis, dimittendo superbos ac divites, quòd sis dæmonis mancipium, & Samaritanus? quòd nihil boni feceris hominibus, nihil in te boni inveniatur, non sis memor in tuis actionibus tuæ Divinæ virtutis? an non videbant misericordiam & mansuetudinem tuam? tam cæci sunt, ut nihil in te possint videre, quàm sua vitia. Quomodo ergo, Deus meus, ego volo, ut mundus videat in me, quod non videt in te, & dicat de me, quòd non potuit dicere de te? Amor animæ meæ! quia mors & vita est in manu linguæ, & hi non inveniunt in te, qui es vita, nisi mortem; aperi tu labia mea, & os meum annunciabit laudem tuam. Toto corde laudabo magnitudinem tuam, & gratias agam pro bonis, quæ mundus non potuit in te cognoscere, & quoad vivam, laudabo te, quæ es vita mea æterna, & adorabo te; quia propter eadem bona, quæ faciebas eis, contra te murmuraverunt.

*Agere cum
peccatori-
bus, ingredi
domos lan-
guentium,*

II. Adoro te, mi bone Jezu! pro misericordia, quæ manducasti cum peccatoribus, & illos tibi adjunxisti. Quid me factum esset, si ageres tantum cum justis? quam spem veniæ haberem, si te vidissem tantum cum Sanctis & innocentibus? quid fieret vulneribus & infirmitatibus meis, ô salus mea! si non intrasses in domos infirmorum, & perditarum animarum? Ah mi Deus! dicant Pharisei, quod volent; tu es salus mea, misericordia mea, refugium meum; & tibi non minus conveniunt triclinia pecca-

peccatorum, quàm mensæ Angelorum: quia apud nos ardet amor tuus in duriore materia; & quia difficilius comburitur, magis exerit in ea vim suam. Ergo, Domine, ingredi in cor istud, & veni, manduca mecum; quia bene scis, quid tibi possim apponere, sufferenda erit immunditia domûs istius, omnia in ea frigida, tepida, amor congelatus, nec fixus: desideria insipida, sine sale spiritûs: opera prorsus corrupta & marcida, & talia, ut non possint aspici; & alia omnia erunt, qualia tu jam vides. Nihilominus, Deus ac Domine animæ meæ! te excusare non potes, ne manduces mecum, quando hoc desidero: quia omnia facies ad tuum modum; nam omnia bona venient tecum. Recordare, quòd, etsi dixeris te venturum, & cœnaturum cum his, qui amaverint & observârint doctrinam tuam; tamen tantam curam susceperis peccatorum, ut ires ad manducandum cum eis, quamvis te non amarent, neque cognoscerent: accedis enim justos, quia te amant; peccatores verò, ut & ipsi te ament. Ergo Deus meus, resuscita hunc spiritum, reple me tuo amore; & reforma, quidquid in me invenis. Si murmurent Pharisæi, adorabunt te Angeli, & ego in æternum laudabo te.

III. Adoro te, DEUS cordis mei! quia noluiti aliam ^{sanare} quietem habere die Sabbati, quàm in benefaciendo hominibus. ^{egros in} Divinus amor tuus, qui nunquam otatur, cùm sex diebus Mun- ^{Sabbato,} dum condidisset, septimo requievit: voluistine tu, Deus amoris, forsan otari in Sabbato? O amor animæ meæ! quia Pharisæi te non intelligunt, ideo de hoc beneficio tuo murmurant. Tuum festum est, quiescere in anima mea; ideo noluiti me alia re occupari, quàm tecum. Sed dic mihi, Domine, voluistine me festa servare, ut operer tecum, an ut tu solus opereris in me? Dicat mundus, quod vult; ego agnosco, & adoro hunc amorem æternum, quo vis omnia in bonum meum: adoro desiderium, quo vis in me solus quiescere: adoro gustum, quo fecisti omnia propter me: adoro amabilem voluntatem, qua dixisti te esse Dominum Sabbati, ut in eo mihi beneficias; sicut aliorum dierum, quibus creâsti omnia; non impediant mea peccata, quò minus habeas delectationem in me. Adoro te, mi Samaritane, & victor dæmonum!

Nescie-

esse Samaritanum,

Nesciebant illi, quid dicerent, quia omnia malo corde dicebant, sed ego tibi infinitas gratias ago, quod me hanc veritatem docueris. Tu, mi bone Jesu! te in figura peccatoris, Samaritanum fecisti, Mundo incognitum; sed obeundo terram, invenisti miserè vulneratos à diabolo, & semimortuos absque remedio: misericordiâ motus nos sustulisti in humeros, alligasti & curasti vulnera nostra, ostendens te verè esse nostrum proximum, & nostrum amicum. O Divine amor! ostende mihi cor istud: quantum laetabar, cum te per contemptum Samaritanum vocarent, recordatus amoris, quo voluisti Samaritanus esse pro nobis? ex una parte multum accendebatur, quod illi maledici non agnoscerent istam gratiam; ex altera flagrabas desiderio, ut se omnes curari permitterent. Non voluisti, ut amor proximi ullum te propinquiores haberet, in quo se exfereret. O mi proxime! observemus hoc mandatum, quod nobis dedisti: fac mihi hoc, quod vis, ut faciam tibi. Dilige me, demonstra in me magnitudinem tui amoris; esto semper mecum; pone in me oculos tuos; quia ab illis provenire debet mihi virtus, lumen & robur ad id, quod à me petis.

divertisse
ad Zachariam

IV. Adoro, & laudibus infinitis extollo te, mi bone Jesu! propter magnam misericordiam tuam, quam exhibuisti peccatoribus, dum præteritis multis domibus Principum, Doctorum, Sacerdotum, & aliorum divitum ac potentium, pluris fecisti desideria peccatoris Zachari, qui desiderabat, videre te & excipere domi suæ; etsi bene scires, contra hoc murmuraturos. Quid est hoc, Domine! tantine sunt ante oculos tuos, tamque infixæ memoriæ tuæ desideria peccatorum, etiam imperfecta? O Jesu mi bone! & quis major est me peccator? ego te desidero, salus mea; desidero te, summum bonum meum; desidero te, misericordia mea; desidero te, divitiæ meæ; desidero te, amice meus, redemptor meus, pater meus, thesaurus meus, & omnis gloria ac beatitudo mea, desidero te videre. Sed pusillus sum, nec possum videre te; scio tamen, quod tu me videas, & me intelligas; neque spectes, an perfectum sit desiderium meum, dummodo verum sit. Tu, veritas æterna, fac ut hoc defectuosum cor meum te verè desi-

rè desideret. Aspice me, Domine, cum misericordia, sicut aspexisti Zachæum, & Matthæum. Veni mecum, & fac, ut excipiam te cum amore & gaudio; affer salutem huic domui; morare in illa, omissis illis, qui te non volunt; veni, & apud me permane.

V. Ego te adoro, propter omnem gratiam à te mundo collatam, & ab eo non agnitam; propter omnia, de quibus contra te murmuraverunt, ego te laudo; pro omnibus rebus infinitas tibi gratias ago; magis autem pro eo, quòd volueris pro me suscipere hanc tam gravem molestiam improbarum linguarum. Speciatim verò te adoro, & laudo pro ista gratia, quâ voluisti me esse de tua familia, & in ea me à linguis malis defendere. Ah Domine! da mihi cognoscere hanc beatam veritatem, quam prodidit sanctus tuus Propheta, cum dixit de te: *Abscondes servos tuos in abscondito faciei tuæ: proteges eos à contradictione linguarum.* O bonum latibulum! O absconditum Divini vultus tui! quando recipies in te cor meum, ut non curem, quid de me homines dicant? dicunt illi, quod nec vident, nec sciunt: sed qui est in illo abscondito faciei tuæ, quid non scit? gaudet refrigerio tuæ aquæ, vivit pane tuo Divino, delectatur conversatione tuâ secretâ, & thesauris, qui sunt absconditi ab oculis mundi. Ah Domine! cur sentio, quod homines dicunt, nisi quia adhuc amo id, quod eos dicere vellem; neque delector eo, quod est in te absconditum? si vivam de te, quid interest mea, si dicant me inopem esse, & mori fame? si sim captus amore tui, quid refert, si dicant me esse ignavum, ac totum occupari tui amore? utinam habear inops mentis & iudicii, dum te diligam! utinam fiam prorsus inutilis mundo, dum totus à te possidear! utinam dicant homines, quidquid lubet, dum ego te audiam! optime Jesu! Murmurent illi, gaudeam ego: querulentur illi, & ego te non amittam: dicant illi mala de me, & ego placeam tibi. Quid per hoc amittam ego? mi Jesu! imò, quid faciam lucri? amor Divine! O cælum! disrumpere, & sine me videre hunc meum Dominum, hoc meum bonum! sed ô bone Jesu! quid dico? Cælum hoc surdum est, neque me intelligit. Tuum hoc suave cor est meum cælum vivum: hoc habet

Tutum refugium contra maleficos.

Ps. 30. 21.

Cor Domini
ni Iesu.

||

oculos,

oculos, & videt; habet aures, & audit: habet voluntatem, & amat; sapientiam, & intelligit; pulchritudinem, & recreat: lucem, & illuminat, locum per omnia delectabilem. O meum cælum vivum! tu me vides, & me intelligis: aperi te mihi, & sine me videre, quod intra te fit. Recipe me, suave meum cælum, & include me in te; & postea quicquid volunt, dicant contra me. Ah cælum Divinum! cælum amabile! ex natura tua durum non es erga peccatores; ne durus sis erga me. Si ego sum siccus & aridus, demitte in me pluviam aquæ Divinæ: si ego sum cæcus, mitte mihi lucem tuam; si peccatis onustus, da mihi vocem tuæ misericordiæ, ut fiam dignus intrare in te. Ego scio, quod me tu desideres; & tu scis, quod ego desiderem te. Aperire mihi, aperire, & recipere me. Ego te debeo amare & laudare: tu me debes possidere, & ego possideri à te. Fugiam à me, & vivam in te. Ah Divine amor! qui facis, ut desiderem te, novisti me, & novisti te; fac in me, quod tu vis; & postea require à me, quidquid volueris.

VI. O Divine Paterfamilias! qui dignatus es dici Beelzebub, pro solatio omnium, qui sunt è tua familia; ac tantam rationem habuisti eorum, quæ ego eram passurus, ut ipse prior eadem, & longè plura pati velles; doce me magnifacere, quod possim similis evadere domesticis tuis. Mundus censet valde congruere, ut servus magni æstimet suum Dominum; pro illo labores, injurias, pericula, mortem subeat: quanto pluris æstimare debeo ego, si possim te sequi? Non dedisses te mihi pro magistro & speculo, si non vidisses, quid ferat mea infirmitas. Memento ergo mei, & exime cordi meo sensum, quem efficiunt in eo linguæ hominum. Tu scis, quod mihi nihil crearent molestiæ, si cor meum non cuperet eis placere. Quando erit, mi Domine! ut, quod cupio ex toto corde, etiam servi tui minùs bene de me sentiant, ut tibi soli velim placere? è domo tua recipio omnia bona corporis & animæ, & spero quoque cælestia: quid ergo magni sit, sufferre malam linguam pro te? quid magni sit, si complaceo tibi, mundo non placeam? O Jesu! imperfectum cordis mei, quò sentit ac timet hominum dicta, tu scis. Miserere mei, & doce me agnoscere hanc veritatem. Juva me, ne dem justam causam, murmurandi de me,
ac te

*Murmuret
mundus,
dum Jesum
sequamur,
amemus.*

ac te offendendi : sed purè cupiam tibi placere , neque movear hominum dictis : neque tempus in mei apud eos justificatione consumam ; sed tota vita mea , tempusque impendatur studio tibi placendi, & omnia sufferendi tuo amore.

VII. O Magister æternæ veritatis ! tu iussisti nos orare pro *Oratio pro* calumniantibus nos : non iussisses, nisi velles exaudire. Rogo ergo, *maledictio.* ut parcas omnibus , qui malè loquuntur de me. Tu scis, eos non tantum mali dicere , quantum est in me ; neque tantam esse malitiam dicentium plus , quàm sit in me , quanta est bonitas tua, in me tolerantis ea, quæ non dicunt. Tu Domine, mederi potes omnibus, & mihi, ut emender ; & illis, ut desinant obrectare. Fac, Domine, ne meâ causâ pereat quisquam, à te tam carò redemptus. Da illis nôsse puritatem tui amoris, ut eum desiderent : divitias tui spiritûs, ut eum petant : dulcedinem tuæ conversationis, ut eam requirant : bona, quæ tuis largiris , ut occupentur tecum, & me dimittant, non meâ causâ, sed sui spiritualis profectûs. Convertite linguas eorum in tuas laudes , ut honoreris per eas , non offenderis. Da illis charitatem , ut me adjuvent emendando , quod in me desiderant ; & uni me illis amore sincero, ut lauderis in omnibus. Mater Dei ! impetra mihi locum inter domesticos Filii tui , & omnibus, qui de me non bene loquuntur. O cives cælestes, impetrare nobis, ut lingua nostra semper eum laudet, in cuius laudibus vos toti occupati estis in secula, Amen.

Æ R V M N A X X I I.

De Contradiçtione Doctrinæ, & Actionum
CHRISTI.

I.

Contrariè peccatum, quod in consuetudinem venit, *Consuetudo* secum trahit alia multa , etiam se graviora , quibus *etiam le-* aperit viam. Nam ut S. Gregorius ait, culpa, quam *vium peris-* non diluit pœnitentia , suo pondere trahit alias *culosas.* multas post se : quod experitur , quisquis attendit ad res suas, si non refrenet inclinationem ad aliquod malum , per eam *Et hanc* subintrare alia , quæ multum possint ei nocere. Quare *Damora* tentator diabolus id inter alia præcipuè studet, ut ejus in- *clinatio.*